DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FRIGORIS
IN CURANDO TYPHO
PRÆSTANTIA.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31949137_0001

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FRIGORIS IN CURANDO TYPHO PRÆSTANTIA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FREDERICK LAMPERT,

ANGLO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS,

NECNON

SOCIET. LINN. LIPS. SODALIS.

Tempora mutantur, et nos mutamur in illis.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC IV.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO ILLUSTRI,

CHRISTIANO FREDERICO POHL,

JURIS UTRIUSQUE

DOCTORI;

SENATÛS LIPSIENSIS

PROCONSULI;

CONSISTORII EVANGELICI

ADVOCATO;

OB

INGENII BONITATEM MORUMQUE SUAVITATEM,

AMICIS ET FAMILIARIBUS

UNICE CARO;

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. Dque

AUCTOR.

VIRO OPTIMO,

ROBERTO JAMESON,

HISTORIÆ NATURALIS

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI REGIO;

SPECTATISSIMO AMICO;

OB MULTA,

QUIBUS IPSE EUM SUIQUE

AMICISSIME ORNARUNT,

BENEFICIA,

PUBLICUM HOC

AMICITIÆ ET ANIMI GRATI

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 18. l. 15. *pro* sivi *lege* sive
Pag. 28. l. 15. *pro* beneficium *lege* beneficum

For
Mr Ogilvie with the
Authors Complts

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FRIGORIS IN CURANDO TYPHO

PRÆSTANTIA.

AB antiquissimis temporibus, quibus homines artes atque scientias colere incipiebant, atque per eorum utilitatem, æquè ac, quam tale studium præberet, voluptatem, iis magis animum advertere commovebantur, variam illæ ac sæpiùs mutatam induerunt formam. In nulla magis quàm Arte Medica hoc apparet; quippe quæ a primis suis incu-

A nabulis

nabulis ad nostra usque tempora, toties ac tantum fuit transformata, ut artis, qualis olim erat, vix umbra nunc remaneat. Præcipuè verò recentiorum studia ac labores ad artem medicam utilem, certam ac laudabilem reddendam, quàm maximè contulerunt. Eorum enim operâ eam, lusum quondam imaginationis, et superstitionis, ordinis omninò destitutam, omnium sapientium risu dignam, venerabilem habemus, pulcherrimo ordine constitutam, artisque salutaris nomine dignissimam. Hac de causa spes erat hujus speciminis Academici auctori, se non ingratum suscepturum esse opus, si morbum hac in insula frequentissimum eligeret, per præcipuas suas revolutiones sequeretur, et curationem, hoc ævo apud omnes ferè communem, cum illa antiquiorum temporum compararet, ac ita, primam, multum prestare, probare conaretur. Cùm verò ob arctiores hujus tentaminis limites, de omnibus morbis copiosè tractare nequeat, febris continuæ speciem : — *Typhum*, considerandam proponit.

proponit. Nihil tamen novi, nec, nisi quod aliorum scriptis debet, expectandum erit.

Typhus a CULLENO, quem in hac Academia omnes sequuntur, ita definitur:

"Morbus contagiosus, calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens. Urina parum mutata, sensorii functiones plurimum turbatæ, vires multum imminutæ."

Consilium non est, varias auctorum de typho opiniones enumerare, sive ullam de febre theoriam contemplari. Curationum febris genera diversa breviter explicabo, quum, in quibus ego Germaniæ partibus, (ubi, Angliâ, patriâ meâ, in infantia relictâ, juventutis prima studia prosequendi necessitas erat) medicis operam darem studiis, sæpiùs, ac ferè semper, genus curationis illud (quod *sudorificum* appellabo) viderem.

Erant SYDENHAM et BOERHAAVE, ut omnes bene sciunt, ejus auctores. Horum enim ille

vim

vim medicatricem esse naturæ, quæ in omni morbo materiem morbificam expellere conaretur, sibi persuasum habebat. In morbis igitur curandis, non licêre statim morbum aggredi, sed in progressu suo eum adjuvare, usque dum natura ipsa, per noxiæ materiæ expulsionem, morbi finem adducat. Boerhaave verò morborum, præcipuè febris continuæ, causam in sanguinis lentorem ponit, quem summa cum cura corrigere nos jubet. Quum talem viam tanti nominis viri aliis monstrarent, quid miremur, multos utrumque habuisse sectatores, ac medicinam per longam annorum seriem eorum principiis fuisse accommodatam. Hinc erat, ut medici, in primo suo stadio, febrem rigore quodam interrumpere non auderent, sed lento illam passu incedere permitterent. Hinc erat ut febre laborantes ab aëre frigido ac puro, omninò excluderentur, ne in progressu suo febris perturbaretur. Quando igitur calorem corporis viderent auctum, potu diluente ac calido, omni tempore frequentissimè ægrotis dato,

ac

ac vestimentorum sæpe calefactorum mole miseris imposita, curabant, ut calor major fieret; hoc natura medicatrice, ut credebant, jubente. Nec verò hisce contenti, varia sudorifica iis omni hora præcipiebant, ita ut miseri, quod nemo dubitabit, in sempiterno sudoris profluvio manêrent. Multi hoc modo, qui, si alia fuisset medicorum indoles ac voluntas, longa vita fuerint gavisi, somno æterno fuerunt traditi.

Primus erat, qui in tenebris lucem præberet Fr. Hoffmann, cùm, quæ antea humorum perversitati adscriberentur febres, optimè ille a vigore generis nervosi minuto oriri, demonstraret. Nervorum scilicet extremos non satis ad actionem moveri, et ita in arteriarum extremitatibus statum spasmodicum sive atonicum induci, præcipuè in stadio frigido, credebat. Præter plures, qui Hoffmannum sequerentur, venerabilem solummodo, hujus scholæ Nestorem, Cullenum, nominare liceat, qui multis novis ac tanti viri ingenio

nio dignissimis observationibus, HOFFMANNI dogmata exornabat. Attamen differt CULLEN ab illo, quòd in typho, primum effectum causæ remotæ, (quam in noxia effluvia ponit) debilitatem totius corporis esse, statuit, quæ quidem debilitas tandem spasmos gignit, qui sunt salutares, ac opus naturæ medicatricis. Spasmi verò cor et arterias ad actionem excitant, per quam spasmi desinunt, et morbo ita finis imponitur. Multi huic doctrinæ adsentiunt. Sed nolo ego nunc nec priora, nec CULLENI dogmata considerare, cum multi magni nominis viri, quæ contra CULLENUM haberent, publicè ac candidè exponerent. Nec quæ restant BROWNII ac DARWINI doctrinas hìc enumerabo, cùm inter omnes satis constent. Iterum monebo, hujus dissertationis finem esse, illis, qui in Germania pertinaciter BOERHAAVIUM sive SYDENHAMUM, sive rationem febres curandi, ex utriusque doctrinis compositam, sequuntur, paucis verbis monstrare, longè præferendam esse febris continuæ curationem, quam

hac

hac in Academia a clarissimis nostris præceptoribus, commendatam, ac in Nosocomio Edinburgeno, summo cum fructu, videmus exhibitam. Confiteri tamen oportet, esse, qui reliquorum perversitatem ex animo abhorreant. Hanc ob causam opiniones REILII et HUFELANDI, qui in arte medica in Germania eminent, breviter enarrandi, veniam peto. Verum etiam illi, frigoris, quo, a cel. CURRIE typho laborantibus admittitur, modo, præstantiam, experimentis a se ipsis institutis non habent satis compertam.

HUFELAND, in libello *de febre nervoso* *, proximam ejus causam, *debilitatem* esse, ac anomalam totius systematis nervosi actionem, contendit, et ante omnia illam observandam, et subitò removendam, suadet. REIL, in opusculo, *de febribus*, febris nervosæ *expositionem*, quod vocat, illam dat: " Febris est: " Virium

* BEMERKUNGEN ueber das Nerven fieber.—1797.

"Virium vitalium in organis aberratio a statu sano, quâ irritabilitas est aucta, agendi facultate in ægro, sive remanente ut antea, non violatâ, sive valde imminutâ. Quum igitur per temporis spatium, *processus vitales* (hoc nomine ipse utitur) magis magisque augentur, et ad majorem actionem excitantur, vis illa potest omninò perire. In organis, materiei mixtio (*Mischung*) ac structura non videntur esse violatæ; nervi verò, et quæ ad eos pertinent vasa, una afficiuntur*."

Hæc sunt verba Reilii, quæ, quanquam multis fortassè appareant obscura, non ita contra veritatem quàm perspicuitatem pugnant. Cum Hufelando enim, ac cum optimis reliquis de re medica auctoribus, persuasum sibi habet, nervos primum ac præcipuè esse affectos. Eâ de causâ corpus est in statu irritabilitatis majoris, ita ut ad perpetuam actionem

* Reil's Fieberlehre.

nem rerum externarum stimulo moveatur. Harum maximum ac primum stimulum præbere videtur, natura contagiosa. Si verò hujus vel alius stimuli actio continua est, nec stimulare desinit, fit, ut corpus sæpiùs, et mihi videtur, plerumque, reagendi potestatem omninò perdat. Aliquando verò potestatem hanc retinet, imo etiam magis per breve temporis spatium exerit. In quo quidem ægri statu, summam debilitatem majorem partium actionem sequi, nemo profectò dubitet. Hæcce fateor, sunt propemodum dogmata Brownii; sunt verò, persuasum mihi habeo, justa, ac rerum naturæ maximè consentanea. Curatio igitur, qualis in typho esse debet, causis ejus, ex ipsis signis morbi, explicatis, facile potest proponi. Necesse non est verbis *irritabilitate*, *excitabilitate*, et quæ sunt reliqua, nos jactare; sufficit observare naturam, et ad signa morbi, animum studiosè advertere. Duplex verò videtur esse debilitas typho affectorum:

1. *Debilitas cum irritabilitate adaucta*, et

2. *Debilitas cum irritabilitate diminuta.*

Una potest esse utriusque causa, sed effectus tales sunt, ac ita differunt, ut diagnosis reddatur facillima. In primo enim debilitatis statu omnes stimuli celerrimè ac fortiter ægrotum afficiunt. Hinc pulsus acceleratur, ac variabilis fit, et remedia stimulantia, ut vinum, signa semper augent. In altero verò, febre affectus, sensus planè expers, stupore ac sopore oppressus, in lecto est prostratus. Nulli eum tunc afficiunt stimuli, sive pulsus excitant. Præter hancce verò, quam typhus purus habet indolem, vario modo, signis accessoriis variatur, catarrhalibus, inflammatoriis, et cætera, de quibus hìc loqui non possumus. Hæc mihi videntur esse, quæ febris continuæ curationem certam ac definitam reddunt.

DE CURATIONE.

Quum, ut jam diximus, præcipua typhi causa sit debilitas, apparet, præcipua remedia, et in quibus maximam spem jurè ponamus, esse, *stimulantia*, *tonica* ac *nutrientia*. Oportet verò, duplicis debilitatis status, rationem semper habere, ita ut, in quibus ægrotis irritabilitas aucta sit, remedia quæ modicè stimulant solummodo, eaque cautè adhibeamus: ubi verò diminuta, fortiores stimulos administremus; in primis, doses remediorum stimulantium parvæ ac refractæ conveniunt: ad alios verò quæ dicuntur excitantia, rubefacientia, et tonica, pertinent. Ut verò remedia, quæ tanta in curando typho virtute pollent, cum fructu præcipiantur ægrotis, ordinem quendam medicus observare oportet. Duo verò sunt quæ in

in typho, in rectam eum dirigunt viam, sive, ut technica lingua utar: *Duplex* est *consilium.*

1. *Ut febris quàm celerrimè ad finem producatur.*

2. *Ut ejus gravissima diminuantur et leventur signa.*

Consilium primum, ab iis qui BOERHAAVIUM sive SYDENHAMUM sequuntur, omninò negligitur, et quod pejus, omni vi opponitur. Qui enim materiam noxiam febris causam esse, credunt, nolunt concedere, febrem esse curatam, si, remediis ad eam finem adhibitis, primis diebus fugatur. Persuasum enim sibi habent, materiem morbificam adhuc in corpore morari, et in perpetuo timore versantur, ne febris impetum iterum faciat. Nolunt igitur, primo statim febris aggressu, eam repellere. Qui in naturam medicatricem credunt, nolunt esse tam audaces, et ipsam naturam beneficam in functionibus suis saluti-

feris

feris perturbare. Hi igitur, primum nostrum consilium indignabundi rejiciunt. Inde fit, ut, ubi medicina est talis, typho affecti longius morbo laborent, et sæpiùs, cùm omnes iis deficiant vires, exhausti moriantur. Ipse ego, quo tempore valetudinaria in Germania frequentarem, multos, qui sub typho admittebantur, vidi, ac febris varia signa examinavi. Rarissimè verò de febre primo statim oppugnanda loquebantur, sub quorum cura erant ægroti; sed per longum temporis spatium nihil aliud agebant, quàm ut haustus sub varia forma præciperent, et catharticis sæpiùs alvum moverent. Vidi ego ipse rheum, sive infusum tamarindorum cum senna (Haustum Viennensem quod appellant) altero quoque die, sine intermissione, præscripta. Aliquando, cùm vires nimis essent exhaustæ, alvus lotionibus ducebetur. Has sudorifica, ut haustus e decocto anthemidis nobilis cum aqua acetitis ammoniæ, semper comitabantur. Hoc modo, per mensis fortassè spatium, cum ægroto agebant medici, rariùs verò in ejus

salutem.

salutem. Nimius enim sudor, et nimia alvi solutio quàm maximè eum debilitabant. Rariùs pediluvio, ad capitis dolorem mitigandum, utebantur. Vinum verò ac potus refrigerantes, una cum aëre frigido, omninò, erant evitanda. Sæpiùs præterea, ignis permagnus, in eorum cameris incendebatur. Non verò ita omnes. Sunt ibi, qui hac via nunquam incedunt. Quos antea nominavi, Reil, Hufeland, Frank, Marcus et alii, in scriptis suis, æquè ac coram ægrotis ipsis, se multùm, à prioribus dissentire, ostendunt. Etenim suadent in primo morbi stadio, aëris puri, (attamen non frigidi) accessum, lavationem corporis, aqua calida et tepida, (non verò frigida) medicamentorum stimulantium, præcipuè vini, usum, ut vires sustineantur ac reficiantur, ac debilitati magis magisque obveniatur. Quanquam verò hæcce sint laudabilia, ex iis, quæ deinde, de lavatione atque affusione frigida in typhi initio dicamus, nihil huic, vel simplicitate, vel celeritate qua

agit,

agit, par esse, satis apparebit. Hæc de primo morbi decursu.

Si igitur æger sub eorum cura indies debilior fit, ac pulsus frequens atque parvus, tendines subsultant, delirium ac spirandi difficultas, cum facie collapsa apparent, quid tunc? Ad nobile illud ac divinum remedium, *moschum*, confugiunt, quum nihil habeant, in quo ultimam suam spem ponere possint! Bene sciunt hujus remedii vim atque virtutem, multi, etiam medicæ artis omninò ignari, et ita, ut ob ipsum *moschi* odorem, omninò de ægrotantis vita desperent. Huic remedio multi sanè, qui jam in articulo mortis versarentur, vitam suam debent, quanquam moschus plerumque adhibebatur, tempore nimio præterlapso. Hoc secundo morbi stadio, Hufeland et alii, aliter iterum sese gerunt. Postea enim vires remediis primo adhibitis, aliquot restituerunt, tonicis illi ac excitantibus remediis, ac victu nutriente, curationi febris finem gloriosum imponunt.

Hoc

Hoc est igitur propemodum duplex curationis genus, quod Germani in febre nervoso sibi vindicant. Me, nimis, et quæ non possint probari, de priore dixisse, nemo spero credit; et si, quod, cùm nunc exempla mihi non sint prompta, fieri potest, aliquis dubitet, si vera sint, omni tempore promptum me habebit atque paratum, ad ea quæ scripsi, re vera confirmanda.

Ne igitur longiùs in aliorum erroribus ipsi versemur, quam hujus Academiæ doctissimi professores sequuntur curandi rationem, et inprimis quam cel. HOME, clinicus professor, totum per annum optimo cum successu sequebatur; non quasi alii eam omninò ignorent, sed ut, qui eam non viderunt ipsi, ad eam magis animum advertant, *frigoris scilicet ope typhum curandi*, breviter explicabo.

Statim, postquam se variis suis signis manifestat, sive sit mitior sive gravior, omni ut antea dixi, vigore est opponendus, ita ut, quantum

quantum fieri potest ejus finis acceleretur. Ubi igitur prima febris signa, debilitas, ac per totum corpus lassitudo; dolores capitis et vertigo, cum faciei rubore ac animi deliquiis observantur, ubi pulsus sunt frequentes atque debiles, et calor magnoperè auctus, frigus primum est remedium, ad quod confugiendum. *Lavatio frigida* scilicet, sivi *affusio aquæ frigidæ*, et in magno sanguinis, caput versùs confluxu, *applicatio aquæ frigidæ ad caput*, capillis remotis. Primis febris diebus, hæc sola aquæ frigidæ applicatio, sæpiùs iterata, nullo prope alio remedio adhibito, febrem, antequam omninò est formata, non rarò fugat. Si verò per tempus quoddam corpus morbo fuerit affectum, sæpiùs, lavationem cum aqua frigida, per longius temporis spatium, continuare oportet, antequam salutares ejus effectus appareant. Plerumque tamen ægroti primis vicibus lavati, tam bene sese habent, ut multi aliam lavationem cupidè desiderent.

Effectus affusionis frigidæ, in diminuto calore, pulsus frequentia minore, capitis dolore mitigato, ac sudore moderato, et benigno, somnum procreante, sese manifestant. Quomodò frigus hæc omnia efficiat, a multis disputatur. Sunt, qui sedativam, alii qui tonicam, alii qui antispasmodicam ejus vim esse, contendunt. Omnes verò hi, etiamsi verbis multò differunt, tamen in re ipsa non ita inter se distant, cùm frigoris, tempore vario, et in hominibus diversis, tales effectus esse possint, ut in hoc sit sedativum, in alio tonicum, et q. s. r. Mihi videtur esse actio frigoris, in affusione saltem, primò stimulans, ac deinde sedativa et tonica; sivi stimulatio cutis, per frigus applicatum, causa est constrictionis ejus, quæ sanguinis nimium impetum prohibet. Frigus igitur in typho externè adhibitum, ut observatio nos docet, summam suam vim in sanguinis cursum exerit, vim sedativam, qua circuitus sanguinis lentior fit, nimiam ita cordis ac vasorum actionem, impedit, ac calorem magnum, ex hac progenitum, diminuit. Aquà frigida scilicet,

corpori

corpori nudo affusa, cutem primò contrahit atque constringit, unde, quod cutem anserinam vocant, conspicuum fit. Constrictio hæcce partibus vicinis impartitur, quæ non solum arterias comprimunt, sed ipsas eas, ad contractionem ciunt, cum antea, calore majore essent dilatatæ, ac majorem copiam sanguinis sese pervadere permitterent. Inde fit, ut non tantum sanguinis possit transmitti. Actio ipsius cordis ita minuitur, et sanguinem non tanta propellit velocitate. Sequitur hoc, diminutio caloris, qui, sanguine non ampliùs festinante, non est nimiùs. Venæ, quæ sanguinem nimia quantitate iis adductum, e capite antea revehere non valebant, (forsitan, quòd magno sanguinis impulsu irritatæ, magis contrahebantur,) unde facies rubra, oculi suffusi, delirium, et alia signa mala oriebantur, justam nunc ejus quantitatem, meliùs possunt promovere. Hoc modo, equilibrium in corpore restituitur, et, ut mihi videtur, curatio planè finitur. Ex hisce, eodem tempore, apparet materiam contagiosam, primùm, fortiter cor et

vasa

vasa sanguifera stimulare, et ea ad majorem actionem excitare. Cùm verò magnoperè debilitata sint, necessaria, ad equilibrium tenendum, reactione carent. Ipsum illum stimulum contagii, unà minuere affusionem, mihi videtur. Num verò aqua externè applicata, in ipsam materiam contagiosam agat, eam dissociet, sive solummodo, ejus, corpori externo applicatæ, absorptionem prohibeat? quæstio est. Quæcunque verò sit frigoris in typho actio, tale esse remedium, quòd omnibus omninò præstat, nemo negabit.

Si effectum frigoris celeriùs atque fortiùs producere optamus, affusio frigida, lavationi cum aqua, sive aqua acido acetoso mixta, præferenda est. Aqua enim magna mole, ac iterum iterumque corpori nudo affusa, vim suam in illud, subitò ac fortiter exerit, cum lavatio, non nisi post temporis aliquod spatium, agere incipiat. Si igitur fieri posset, mallem semper affusionem adhibere. Ut verò ejus effectus ad spem nostram respondeant,

præstat

præstat applicatione aquæ frigidæ, primis statim diebus, antequam febris nimios fuerit progressus, uti. Eo enim tempore, signa ejus sunt faciliùs subigenda. Attamen cel. CURRIE, se affusionem frigidam, et die undecimo et duodecimo, in ægroti salutem, adhibuisse, asserit.

Cùm verò et tàm utile remedium, possit quodam tempore aliquid detrimenti afferre, Doctor CURRIE monet, ne aqua frigida utamur: 1*mo*, in frigido febris stadio; sive 2*do*, quando corpus, per longum temporis spatium multum sudaverit, cùm, eo tempore, caloris jactura esse posset talis, quæ vitam ægroti minitaretur. Cavendum verò etiam est, ne in catarrho typhum comitante, affusione frigida utamur. Affusionis, frigidæ, hoc modo, et illis observatis, a cel. HOMIO in Nosocomio Edinburgeno, adhibitæ, tantum ac tale erat beneficium, ut brevem historiam, duarum febrium, ubi maximè elucebat, nactus ab HOMIO veniam, huic dissertationi adponerem.

Novum

Novum hoc, et præstantissimum remedium, nos, Wrightio, hujus urbis, medico clarissimo, debere, ac de ejus frequentiori in medicina usu, Currie per varia experimenta cum eo instituta, optimè mereri, neminem certò fugiet.

Notandum verò est, in iis, qui sunt nimìs irritabiles, ac constitutione sunt tenerrima, affusionem tepidam, primis saltem viribus, esse præferendam, nec non, ubi catarrhi signa unà adsunt. Aqua, cum acido acetoso mixta, eâdem cum tepida gaudet virtute, quòd non nimia ejus in corpus sit actio. Aqua frigida internè etiam, ut potus, eodem modo, et sub eadem conditione, quàm affusio, potest adhiberi, multò tamen huic est inferior.

Cùm verò sæpiùs sive pertinacitas humana, sive timor, sive quas jam nunc enumeravimus causæ, catarrhus, et cætera, affusionis usum non permittant, alium est, cujus in typhi initio magnus est usus, remedium. *Emetica* enim sunt, quæ sæpiùs morbi aggressum omninò prohibent. Hoc verò solummodò, si

statim

statim, postquam æger sese febre credit affectum, iis utimur. Ita, qui manè typhi signa quædam habere sentit, si, eodem die, vomitorium atque fortiùs quoddam sumit, sæpiùs morbum omninò evadere potest. Vellem verò ego emeticum ministrare, dosi refracta, ut per aliquod tempus, ejus effectus continuarentur, sive, si prima dosis planè nihil operaverit, secunda vomitum ciat. Talis est, qua in Germaniæ Nosocomio quodam uti solebamus, præscriptio:

℞. Pulvis radicis Ipecacuanhæ, gr. xv—xx.
Tartari emetici, gr. iij.
Sacchari albi, scrup. i. M.

Div. in tres partes æquales. Sumat unam, omni hora, ad vomitum usque.

Difficile sanè est, modum, quo emetica in febrem agant, explicare. Videtur mihi quorundam opinio, eas, per agitationem totius corporis, sanguinis motum, per totum corpus æqualem, producere, veritati esse proxima. Forsitan etiam stomachum, a morbosa irritatione bilis liberant, id quod nauseæ videtur

esse

esse causa, quæ sæpè adest. Verò tamen vomitio non indicatur in magna debilitate, sive magno ad caput sanguinis impetu.

Secundum consilium est—Symptomata gravissima levare. Hinc *delirio* urgente, vesicatoria temporibus sunt apponenda. Sed delirium sæpiùs, post affusionem repetitam, spontè abit; de pertinaci ac violentiore delirio hìc loquor. Aliud, quod nonnunquam occurrit signum febrile, est *alvus* pertinaciter *adstricta.* Hæc si per aliquot dies fuerit compressa, febrem multò reddit graviorem. Curandum est igitur, ut alvus propriis remediis solvatur. Talia vera sunt *cathartica,* ac præcipuè laxantia mitiora, e. g. Tartris potassæ, senna, oleum ricini, submurias hydrargyri, jalappa, &c. His, si curam habemus, ne nimis per ea debilitetur ægrotus, febris sæpiùs fit mitior, ac capitis dolor, delirium, et calor, subitò minuuntur. Si a catharticis abhorret ægrotus, sive iis uti non potest, lotiones optimè respondent. Cavendum verò est,

ne

ne catharticis utamur, ubi magna adest debilitas, cùm hanc augeant, nec, primo stadio morbi sunt præcipienda. Alvus fluens, quæ in aliis observatur, optimè *Opiatis* curatur. Hæc, præcipuè forma haustus anodyni, ubi inflammationis symptomata desunt, omnino præstant, et somno etiam sunt aptissima. Sitim permagnam, potio refrigerans, fructus maturi acidulces, ut fragaria vesca, rubus idæus, atque eorum confectiones, vinum aqua dilutum, plerumque tollunt. Ante omnia verò, *vinum*, per totum morbi decursum, pro signorum varietate ac violentia, varia dosi est præbendum. Hoc unicum ac beneficium remedium, nunquam est negligendum. Simul ac debilitatis magnæ signa sese manifestant, detur vinum. Caveamus tamen, ne adsit proclivitas ad inflammationem, neque pulsus sint duriores, sive nimium vini detur in initio, tunc enim nocebit magis, quàm proderit ejus usus. Delirium, si a cerebri ac nervorum activitate imminuta, continuò verò iis stimulatis, pendeat, plerumque

vino levatur, ac idem ad finem usque morbi, ac per totum ejus decursum, corporis viribus sustinendis ac restaurandis, optimè inservit. Simul tamen convalescens modicam assumat cibi facile concoquendi quantitatem, e. g. panem bene fermentatum, sub forma *panado*, lac, fructus acidulces, cerevisiam, et sub fine morbi, ova, jusculum bovinum, et carnem bovinam, formâ *beef steak*. Caveamus verò, ne in primo morbi stadio, alimenta sint nimis irritantia sive duriora, et, ubi inprimis ad putredinem tendit morbus, à carnibus omninò abstineamus. In morbi ad putredinem proclivitate, affusione et vino uti oportet. Hoc modo curationem typhi instituentes, qui artem medicam exercent, optimum successum sperare possunt, quòd illi, qui sudorificum medicinæ genus præferunt, sperare nequeunt.

Exposui, quantum dissertationis limites permitterent, medendi rationem, quam hic loci sequuntur, et eam, quam in Germania multi sibi vindicant. Monstravi, priorem esse sim-

plicem

plicem ac facillimam, sed certiorem et satis experientia probatam : alteram incertam et sæpe noxiam, naturæ omninò contrariam. Multa possent addi, sed, meminerit lector benevolus, hoc esse specimen breve academicum, ejusque indulgentiam petere, non admirationem ; lineas esse solummodo, futuro tempore, si Deus vires dat, finiendæ picturæ.

Ut affusionis frigidæ, in typho curando, eo melius elucescat usus ac excellentia, addidi duas typhi historias a Doctore Homio, professore clinico, anno præterlapso, feliciter ac brevi tempore curati, præmissa altera brevi, cel. Hufelandi, Jenensis professoris, nunc medici aulici ad Regem Prussorum.

* Juvenis, inde ab infantia debilis constitutionis, me, postea febre per dies aliquot, sine ullo remedio ei adhibito, fuisset affectus, in auxilium vocabat. Ego eum in camera parva,

* Hufeland. loc. citat. p. 22.

va, humida, et præterea igne maximè calefacta, videbam, prostratum in lectulum, qui ab omni aëre erat exclusus. Ibi, fœtida perspirationis suæ, ut ita dicam, claude circumditus, ac summopere debilitatus, jacebat : oculis languidis, in locum eundem semper fixis, sui ipsius prope nihil conscius, delirans. Pulsus ejus erat minimus, 150 in minutæ spatio, et aliquando non numerandus. Extremitates trementes, tendines saltantes, spiritus gravior ac tremulus, totum corpus oleoso et fœtido sudore tectum, et lingua vix protrudenda, fuscida erat et sicca. Omnia mihi malignam febrem nervosam indicabant, et eum per duos amplius dies vivere non posse, persuasum mihi habebam. Primum erat, vires oppressas restituere, ac aërem, qui eum circumdabat impurum, statim emittere atque corrigere. Hinc sine mora, culcitarum moles removebatur, portæ et fenestræ aperiebantur, ut aër frigidus cameram pervaderet, simul stimulantia maximè diffusibilia, ac efficacia, erant præscripta.

℞ Pulv.

℞ Pulv. rad. serpent. Virgin. ℥ ß
Cort. cin. ℥ i. *Infunde*
Vinum rhenan. opt. ℔ i ß. *Adde*
Camphor scrup. i. in liquoris anodyn.
Hoffm. q. s. solut.
Moschi orient. gr. xv.
Laudan. liquor. gtt. xxx.
Syr. cort. aurant. ℥ ij. M.

Secunda quaque hora sumat cyathum dimidium, sive totum.

Quarta quaque hora lotiones, è cinchona officinali cum valeriana, injiciebantur. Extremitates spiritu camphoræ atque vino fomentabantur, atque sinapismi erant suris applicati. Ut sudor colliquativus removeretur, et fibræ musculares cohæsionem suam iterum nanciscerentur, elixir acidi HALLERI drachma una, potui ejus admiscebatur. *Die secundo*, pulsus ad nonaginta ictus redierat, ac fortior erat, delirium aberat, et æger me habebat cognitum; tendinum subsultus non aderant; cutis naturalem habebat calorem, et sudore meliore ac critico, tecta erat, lingua humidior et purior. Continuebantur remedia. Cum indies vires

ægroti

ægroti redirent, minor singulis diebus stimulantium fortiorum dosis ei præbebatur, sed tonica augebantur. Ita æger, *post diem octavum*, antea moribundus, nunc periculi omninò expers, a me suis redivivus tradebatur.

Alteræ, sunt historiæ duæ typhi, in Nosocomio Edinburgeno, hieme præterlapsa, per affusionem, feliciter ab HOMIO curati.

I.

JANET LINDSAY. Æt. 14. Maii 24. 1804.

FEBREM suam contagioni debebat, cùm in eadem camera dormiret, ubi mater pessima laborabat febre. *Die* febris *quinta* in Nosocomium erat recepta. Signa morbi tunc erant. P. 120. Caloris gradus, 103; cutis arida; lingua rubra, et sicca; sitis permagna;

na ; facies ruberrima ; cum magno capitis dolore ac delirio.

Affusio frigida eodem die primum adhibebatur, et per eam, pulsuum numerus, ad 114, et calor, ad gradum 99, magno cum ægrotæ levamento, redibant.

Die sexto: pulsus numerabantur 104 ; et caloris gradus erat 97, et post aliam affusionem, pulsuum numerus erat 92, caloris gradus 97, et reliqua signa omnia leviora. Priores verò iterum, ad 140 usque, et calor ad gradum 100, vesperem versus, augebantur. Affusio tamen, statim applicata, pulsuum numerum ac calorem minuebant, ita, ut arteriarum ictus essent 120, ac caloris gradus 98.

Die septimo.—Pulsus numerabantur 72, et caloris gradus erat 96. Cætera morbi signa omninò aberant.

A primo igitur, quo Nosocomium inibat, tempore, ad diem usque quo febre omninò esset liberata, spatium, *triginta sex* solummodo *horarum*, erat præterlapsum. Quum verò, præter affusiones, non, nisi mixturæ mucilaginosæ, ob levem catarrhum, et cerevisium tenue darentur, nec ulla alia medicamenta, puellæ præciperentur, omni jure concludere licet, affusiones, morbum omninò curasse.

Ex Nosocomio octo post dies dismissa erat, sanata.

Non verò ita erat per tres dies, cum febris, iterum eam aggrederetur. *Die tertio* igitur, hujus secundæ febris, Nosocomium iterum petebat. Pulsus tunc erant numero 124, et calor gradum 100 tenebat; lingua albida erat, ac arida, sitis permagna, et debilitas, haud exigua. Nauseâ præterea, et vomitu frequenti afficiebatur. Affusio frigida iterum fiebat, et pulsuum numerum, ad 121, et calorem, ad

gradum

gradum 95, minuebat. Cum verò calor iterum augeretur, ac pulsus fierent numerosiores, vesperè, secunda vice, aqua ægrotæ affundebatur. Post quæ, pulsus 80 numerabantur, sed caloris gradus erat idem. Bene hac nocte dormiebat.

Proximo die, pulsus numero erant 72, et caloris gradus idem observabatur. Inde ab eo tempore, ægrota, singulo quoque die, meliùs sese habebat; et, etiamsi lentissimè, vires recuperabat. Ut morbo redeunti præcaveretur, præcipiebantur, cinchona et vinum.

II.

Mary Wilson. Æt. 23. Jun. 4.

In Nosocomium admissa erat, *die octavo febris:* cujus, signa aderant pessima, mortem subitaneam minitantia. Caput maximè dolebat; de nausea et vomitu querebatur. Pulsus numerabantur 120. Lingua erat al-

bida; cutis magnus calor, ac delirium vehemens, nunquam aberant. Tussis præterea, ac dextri thoracis lateris dolor, signa præcedentia comitabantur.

Ob deliria capillis abrasis, vesicatorium capiti imponebatur, quo delirium maximè levabatur. Quum in hac ægrota, signa catarrhalia nimis urgêrent, ac febris ipsa, nimis esset progressa, aqua calida iterum atque iterum eæ affundebatur; quòd quidem, somnum tandem procrearet. Præterea ad nauseam levandam, spiritu lavendulæ composito, utebatur. A primo etiam die habebat vinum, et haustum anodynum *, cum tincturæ opii gtt. xxxv. Attamen

---

* Haustus anodynus, Pharmacopœiæ, Nosocomii Regii Edinburgensis.

℞ Tincturæ thebaicæ, gtt. xxv.
Aquæ fontan. ℥ i.
Syrupi simpl. ʒ ij. M.

Fit majori vel minori tinct. thebaicæ quantitate, prout occasio postulat.

Attamen signa morbi eadem erant, nec, ante *diem decimum quartum*, ullo modo mutabantur; eo verò die, omninò cessabant, et ægrota, ad pristinam salutem redibat.

Paullo post verò, iterum febre affecta Nosocomium adibat. Febris hujus secundæ signa, erant ferè eadem ac prioris. Dolor capitis; stupor; deliria; vomitus, et alia. Per *quinque dies*, iis multum laborabat.

Die secundo, aquæ calidæ affusione utebatur ægrota, ac paullo post, dormiebat. Cum verò *tertio die*, febris esset eadem, pulsus 108 et debiles; calor 100°; cutis calida; lingua arida ac alba; aqua frigida, statim affundebatur. Minuebat arteriarum ictus a 120 ad 108, et caloris gradum ad 98°. Vesperem versus, quum pulsus essent eodem numero, ac caloris idem gradus, affusio, iterum adhibebatur, sine ullo tamen alio effectu, nisi, quod, bene post eam dormiret. Post hunc verò diem tertium, signa febris, indies erant leviora, ac paullo post, omninò evanescebant.

In

In priore ægrota igitur, febris *die quinto* in Nosocomium recepta, febris, affusione frigida, *quater* adhibitâ, *die septimo* curabatur. Cùm verò febris iterum rediisset, *tertio die* febris, aqua frigida *bis* eæ affundebatur, ita, ut *quinto die*, febris omninò cessaret. Quando, primo adhibita erat affusio, pulsus, ex 120 ad 114, sive *sex*, minuebantur, et calor, gradus *quatuor*, et uterque magnopere, reliquis vicibus. In secundo febris aggressu, caloris gradus, *quinque* minuebantur ; signa catarrhalia, quæ aderant, affusione frigidâ non omninò fiebant pejores.

In altera, febri affecta, cum febris iterum eam aggrederetur, affusio, *tertio die*, *bis* erat repetita. Prima vice, pulsuum numerum *duodecim* et calorem gradus *duo* minuebat ; ac deinde, etiamsi, nullum in diminuendos pulsus sive caloris gradus, effectum haberet, secunda vice repetita, febrem tamen reddebat leviorem.

Multi

Multi alii ægroti, eodem cum beneficio, affusione frigida utebantur, quos, omnes enumerare non possumus.

In una, *Janet Sutherland*, febris *die secundo* admissa, *affusio prima*, pulsuum numerum, *quatuor*, ac calorem, *tres* gradus, minuebat. *Secunda*, pulsus *viginti*; calorem *quatuor*. Iterum atque iterum, aqua frigida lavata, *die* tandem *quinto*, sine ulla erat febre.

FINIS